DE LIBANIO SOCRATIS DEFENSORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IN UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA VRATISLAVIENSI ORDINIS CONSENSU ET AUCTORITATE UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE II MENSIS IULII ANNI MCMIX HORA XI ET DIMIDIA IN AULA MUSICA PUBLICE DEFENDET AUCTOR

HIERONYMUS MARKOWSKI
BORUSSUS OCCIDENTALIS NEAPOLITANUS.

ADVERSARII ERUNT
STEPHANUS SIKORSKI DR. PHIL.
IOSEPHUS GROEGER CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
M. & H. MARCUS
MCMIX

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Richardus Foerster.

Dissertatio integra propediem typis mandata prodibit in commentationum quae inscribuntur
Breslauer Philologische Abhandlungen
fasciculo 40.

Examen rigorosum habitum est die XIX mensis Decembris anni MCMVIII.

RICHARDO FOERSTER

PIETATIS ERGO.

Jesus Christus und Sokrates: die beiden Namen bezeichnen die höchsten Erinnerungen, welche die Menschheit besitzt.
(Harnack, Sokrates und die alte Kirche. Rektoratsrede. Giessen 1901, p. 4.)

Libanius, rhetor ille Antiochenus, saeculi post Chr. n. IV celeberrimus, et Imperator Iulianus, amicus eius, ut ambo fidem Christianam fastidiebant totisque animis philosophiae litterisque Graecis dediti erant, ita Socratem, clarissimum illum philosophiae Graecae restitutorem, pariter admirabantur et colebant et summis laudibus efferebant[1]). Atque quanti Iulianus Socratem aestimaverit, multi librorum eius loci docent, imprimis or. II 96 C, or. VIII 243 A, ep. ad Them. 264 CD. Libanius autem cum multis scriptorum suorum locis, quanto in honore Socratem habuerit, ostendit tum peculiarem apologiam Socratis[2]) scripsit, qua amicus quidam Socratis hunc apud iudices a criminibus ei ab Anyto obiectis inducitur defendens. Atque exstat altera quae fertur Libanii declamatio pro Socrate iam capitis damnato atque in vincula coniecto habita[3]), qua auctor iterum familiarem quendam Socratis legem

[1]) Cf. Geffcken, Sokrates und das alte Christentum, Heidelberg 1908, p. 30.

[2]) Locos attuli ex editione Richardi Foerster: Libanii opera rec. R. F., vol. V, Lipsiae 1909, p. 1—121 cuius voluminis folia a typographo modo confecta nondum publici iuris facta editor humanissimus benigne mihi utenda permisit.

[3]) Cui declamationi, quae inscribitur *Κωλύουσι Σωκράτην ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ διαλέγεσθαι καὶ ἀντιλέγει τις*, multorum argumentorum materiaeque communitate cum apologia Socratis coniunctae Foerster in declamationum serie locum tribuit alterum, vol. V p. 123—147. Quae declamatio, quam brevitatis gratia decl. II significabo, an sit Libanii, Foerster mihi dubitationem movit; cf. etiam illius notam vol. V p. 123.

ab accusatoribus propositam, ut ille in carcere colloqui vetetur, facit dissuadentem.

Etsi complures viri docti de Libanii apologia Socratis iam disseruerunt[1]), tamen, cum adhuc non omnes dubitationes, in quibus illam legentes haeremus, solutae sint cumque aliae quaestiones et ad illam et ad decl. II pertinentes vix aut omnino non tactae sint, eas declamationes perscrutari non inutile mihi visum est. In iis vero tractandis hanc sequar rationem:

A ut fontes a Libanio ad apologiam Socratis componendam usurpatos,
  I et accusationem ab eo refutatam
  II et ceterorum argumentorum auctores indagem,
B ut dictionem et compositionem illius spectem,
C ut res in apologia Socratis ad Libanii ipsius vitam pertinentes investigem,
D ut, quae ratio inter apologiam et decl. II intercedat, examinem.

A.

De fontibus a Libanio ad apologiam Socratis componendam adhibitis.

I. De Socratis accusatione a Libanio refutata.

Accusationem Socratis, quam Libanius sibi sumpserit redarguendam, aliam esse atque illam actionem Athenis anno a. Chr. n. 399 ab Anyto, Meleto, Lycone in Socratem intentam vel inde sequitur, quod orationes ab accusatoribus habitae numquam in vulgus prodierunt, nec non inde, quod apud Libanium Anytus Socrati crimina graviora multoque plura obicit quam tres illi accusatores ei coram iudicibus imputaverunt, nec minime inde, quod apud Libanium crimina inveniuntur Socrati exprobrata, quae accusatoribus iudiciariis omnino non proferenda erant. Ac primum quidem etsi Plato apol. 17 A — 29 C passim nec minus Xenophon[2]) imprimis apol. 20 accusatorum argu-

[1]) Auctores, quos respexi, in contextu suo quisque loco afferentur.

[2]) Nemini hactenus contigit, ut apologiam Socratis Xenophontis nomen

menta ac verba afferunt, tamen accusationes illae ipsae, quibus *οὕτω πιθανῶς ἔλεγον* (Plat. apol. 17 A), numquam publici iuris sunt factae [1]). Quam rem dilucide Xenophon testatur, qui cum comm. Socr. I 1, 1—20 crimen impietatis sive laesae religionis, gravissimum accusationis iudiciariae caput, refutet, neque ullum accusatorum argumentum affert et Socratis *δαιμόνιον* ad hoc crimen eos adduxisse caute indicat [2]) I 1, 2: *ὅθεν δὴ καὶ μάλιστά μοι δοκοῦσιν κτλ.* et praeterea argumenta, quibus accusatores ad crimen illud confirmandum usi sint, sibi ignota esse aperte dicit I 1, 1: *Πολλάκις ἐθαύμασα τίσι ποτὲ λόγοις κτλ.* et I 1, 2: *ποίῳ ποτ᾽ ἐχρήσαντο τεκμηρίῳ.* Quod argumentum ultimo loco commemoratum a Cobeto l. l. p. 666 primum adhibitum ut dissolverent nec Büchsenschützio [3]) nec Breitenbachio [4]) contigit; etenim Xenophontem, si scivisset, quibus argumentis accusatores iudicibus persuasissent, et si tantum miratus esset, quod accusatorum argumentis iudices ad Socratem capitis damnandum adducti essent, non *τίσι ποτὲ λόγοις* sed *ποίοις* vel *ὁποίοις ποτὲ λόγοις* dicturum fuisse versimillimum est.

Magis vero accusationem a Libanio repulsam non illam actionem iudiciariam esse inde apparet, quod haec pauciora ac leviora crimina continuit quam illa a rhetore Antiocheno refu-

---

prae se ferentem Xenophonti ita abiudicaret, ut re vera omnibus persuaderet. Nam ne verba quidem illa similia apol. 18 et symp. IV 41 discrepanti ratione adhibita, quibus nuper Th. Thalheim Herm. 43, 440 apologiam illam et Xenophontis „convivium" non eiusdem auctoris esse ostendere studebat, sufficiunt, ut apologiam non a Xenophonte scriptam esse demonstrent. Quod enim locutiones, quibus apol. 18 Socratis mores serio describuntur, symp. IV 41 ad Antisthenis mores signandos simulate usurpatae sunt, id inde declaratur, quod Antisthenes hoc loco mores suos iocose explicans fingitur.

[1]) Cf. Cobet, Novae Lectiones p. 666. — Schanz, Sammlung ausgewählter Dialoge Platos mit deutschem Kommentar, drittes Bändchen, Apologia, Leipzig 1893, p. 51.

[2]) Cf. Schenkl, Xenophontische Studien, II. Heft, Beiträge zur Kritik der Apomnemoneumata, Wien 1875, p. 10. Non recte haec Xenophontis verba interpretatus est Breitenbach, Fleckeisens Jahrbücher für class. Philologie, t. 99 p. 802, et t. 115 p. 459.

[3]) Philolog. t. 22 p. 693.

[4]) l. l. t. 99 p. 801; t. 115 p. 458—459.

tata; tres enim illos accusatores duobus[1]) criminibus Socratem insimulavisse, primo quod, quos deos esse civitas crederet[2]), eos non esse credens[2]) nova numina induceret, altero, quod adulescentes corrumperet, omnes auctores consentientes memoriae tradiderunt, Plato Euth. 2 C, 3 B, 5 C, 12 E, apol. 24 B, 25 D, 16 B, 35 CD — Xenophon comm. Socr. I 1, 1, apol. 10 — Diodorus Sic. XIV 37, 6 — Favorinus apud Diog. L. II 40: *ἡ δ' ἀντωμοσία τῆς δίκης τοῦτον εἶχε τὸν τρόπον· ἀνάκειται γὰρ ἔτι καὶ νῦν, φησὶ Φαβωρῖνος, ἐν τῷ μητρῴῳ· τάδε ἐγράψατο καὶ ἀντωμόσατο Μέλητος Μελήτου Πιτθεὺς Σωκράτει Σωφρονίσκου Ἀλωπεκῆθεν· ἀδικεῖ Σωκράτης οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων. τίμημα θάνατος.* At hoc Favorini testimonium fide non dignum esse, sed hunc accusationis formulam non e tabula ipsa Athenis in templo Magnae Matris servata sed e Xenophontis comm. Socr. I 1, 1 prompsisse Schanz l. l. p. 12–16 argumentis ex accusationis forma sumptis concludebat, nec tamen Beyschlagio l. l. p. 4—8 neque Menzelio l. l. p. 7—12 persuasit, qui accusationis formulam a Favorino traditam genuinam esse ostendebant. Attamen Favorinum tabulam illam ipsam videre non potuisse inde patet, quod ex Metroo omnia tabularum veterum autographa temporibus belli Mithridatici primi ab Apelliconte quodam Teio cive Atheniensi facto ablata esse Athenaeus Deipnos. V 214 DE narrat. Itaque Favorinum accusandi formulam non in Metroo, sed apud aliquem auctorem vetustiorem[3]), quem Xenophontem fuisse non necesse est, repperisse manifestum est; ac praeterea vel Favorinus vel iam auctor ille, ex cuius libris accusationis formulam hausit, verba tabulae non accurate, sed scriptorum veterum more[4]) libere exscripsisse

---

[1]) In unum accusationis caput duo illa crimina contraxit Schanz l. l. p. 15: *es handelt sich nicht um eine zweifache, sondern nur um eine ἀδικία, die darin besteht, dass Sokrates der Jugend τὰ ἀσεβῆ lehrt.* Schanzii opinionem parum rectam refutat Beyschlag, Die Anklage des Sokrates, Progr. Neustadt a. d. H. 1900, p. 26—34.

[2]) Aliter *νομίζειν* verbum interpretatur Menzel, Untersuchungen zum Sokrates-Prozesse, Sitzungsber. der philos.-hist. Kl. der kais. Ak. der Wiss., t. 145, Wien 1903, p. 13—15.

[3]) Cf. Wachsmuth, Die Stadt Athen im Altertum, II 1 p. 337.

[4]) Cf. Norden, Die antike Kunstprosa, p. 90 [1].

videtur[1]). Quod autem Favorinus formulam illam sua aetate in Metroo fuisse dicit, haud magni est ponderis; omnino enim eius testimoniis fidem nisi caute non tribuendam esse ostendit id, quod de Socrate apud Diog. L. II 20 scribit: *καὶ γὰρ πρῶτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε.* Quae Favorini narratio pugnat contra id, quod Plato apol. 33 A et Xen. comm. Socr. I 2, 3 Socratem ullius umquam hominis magistrum fuisse negant. Nec minus Favorini testimonia reddit suspecta *Πολύευκτος*, causidicus ille a nullo auctore fide digno commemoratus, a solo Favorino apud Diog. L. II 38 allatus: *εἶπε δὲ τὴν δίκην Πολύευκτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.* Quod nomen et C. Fr. Hermann[2]) et Zeller[3]) frustra mutabant. Etsi igitur accusandi formula a Favorino tradita haud magni est pretii, tamen e Platonis et Xenophontis et Diodori Sic. testimoniis accusationem Socratis iudiciariam duobus illis criminibus constitisse satis est certum. Criminum autem apud Libanium exstantium numerus multo est maior.

I. Primum accusationis caput: Socrates statum rei publicae popularem labefactat.

1. Socrates cum cives tum adulescentes ad leges rei publicae despiciendas adducit.

§ 13, p. 20,15—21,2 *Σωκράτην . . . διδάσκαλον γενόμενον . . . ὑπεροψίας τῶν νόμων.*

§ 80, p. 58,11–12 *μέμφεσθαι, φησίν, αὐτὸν τῶν ἐθῶν τισι τῶν παρ᾽ ἡμῖν.*

Cf. praeterea § 44, p. 38,11–14, § 49, p. 41,9–11, § 50, p. 42,5–6, § 80, p. 59,4–5, § 116, p. 78,15–17, § 165, p. 109,9–10.

Primus Socratem, quod adulescentes leges constitutas contemnere doceret, insimulavit Aristophanes nub. 1400 *ὡς ἡδὺ . . . τῶν καθεστώτων νόμων ὑπερφρονεῖν δύνασθαι.* Idem crimen

---

[1]) Aliter discrepantiam inter vocabula *εἰσφέρων* a Xenophonte comm. Socr. I 1,1 et apol.10, et *εἰσηγούμενος* a Favorino adhibita exstantem interpretatur Menzel l. l. p. 15 [1].

[2]) De Socratis accusatoribus. Ind. schol., Gottingae 1854/1855, p. 14.

[3]) Die Philosophie der Griechen [4], II 1 p. 193.

similibus ac partim iisdem verbis, quibus accusator Libanianus, in Socratem profert simulque, quas Atheniensium leges Socrates reprehenderit, explicat accusator quidam apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 9 *ἀλλὰ νὴ Δία, ὁ κατήγορος ἔφη, ὑπερορᾶν ἐποίει τῶν καθεστώτων νόμων κτλ.* Quam incusationem in Socratem iterat Iosephus c. Apion. II 37, 2 *καὶ διαφθείρειν τοὺς νέους ὁ κατήγορος αὐτὸν ᾐτιᾶτο, τῆς πατρίου πολιτείας καὶ τῶν νόμων ὅτι προῆγεν αὐτοὺς καταφρονεῖν.* Ut autem in iudicio Anytus Socrati exprobraret, quod nonnullas Atheniensium consuetudines publicas vituperaret, fieri non potuit, cum ipse in re publica moderatorum partes secutus non omnia imperii popularis soluti instituta probaret[1]), et cum accusatores *ἀμνηστίας* lege anno a. Chr. n. 403 Athenis constituta impedirentur, quominus Socrati scelera in rei publicae formam antea commissa imputarent[2]).

2. Socrates civitati iniuriam infert.

§ 29, p. 29, $_{18}$—30, $_{2}$ *εἰ γὰρ . . . οὔτ' ἂν ἠδίκησθε ὑμεῖς.*

§ 34, p. 33, $_{1-5}$ *ὁ γέρων οὗτος . . . ἐγένετο πονηρῶν διδάσκαλος . . . βλάπτων τὴν πόλιν.*

Quo crimine accusator a Libanio refutatus in Socratem adhiberi voluisse videtur legem Cannoni a Xenophonte hist. Gr. I 7, 20 traditam: *ἐάν τις τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον ἀδικῇ, κτλ.*

3. Socrates formam rei publicae popularem odit tyrannidemque appetit.

§ 53, p. 43, $_{18-20}$ *μισόδημος, φησίν, ἐστὶ καὶ τοὺς συνόντας πείθει τῆς δημοκρατίας καταγελᾶν.*

§ 55, p. 45, $_{2-4}$ *ὁ φάσκων αὐτὸν συμβεβουλευκέναι τοῖς νέοις ζητεῖν ὅπως ἡ πόλις δουλεύσει.*

§ 163, p. 108, $_{6}$ *σὺ τολμᾷς καλεῖν Σωκράτην τυραννικόν.*

Cf. § 48, p. 41, $_{2-4}$, § 49, p. 41, $_{7-8}$, §§ 57—58, p. 46, $_{2-8}$, § 60, p. 47, $_{7-14}$, § 61, p. 48, $_{2-4}$, § 83, p. 60, $_{17-18}$.

---

[1]) Cf. Menzel l. l. p. 44.

[2]) Cf. Beyschlag l. l. p. 43. — Menzel l. l. p. 36—38. — Pöhlmann, Sokratische Studien, Sitzungsber. der philos.-philol. u. der hist. Kl. der kgl. bayr. Akad. der Wiss. 1906, Heft I, S. 49—142, p. 72. — Christ-Schmid, Gesch. der griech. Lit.[5] I, München 1908, p. 470[3].

Quod discipulos tyrannicos faciat, Socrati obicit etiam accusator ille apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 56 ἔφη δ' αὐτὸν ὁ κατήγορος . . . διδάσκειν τοὺς συνόντας . . . εἶναι . . . τυραννικούς.

4. Socrates imperium populare destruit.

§ 13, p. 20_{15}—$21,_{3}$ Σωκράτην . . . διδάσκαλον γενόμενον . . . δήμου καταλύσεως.

§ 51, p. $43,_{1-2}$ τῆς νεότητος ὑμῖν, ὥς ὅδε φησί, διεφθαρμένης καὶ ποθούσης ἑτέραν πολιτείαν διὰ τοὺς τούτου λόγους.

Cf. etiam § 41, p. $36,_{13-15}$, § 53, p. $44,_{1-3}$.

Totum illud accusationis caput sumptum de statu rei publicae populari ut a Socrate oppugnato ab accusatoribus iudiciariis ob ἀμνηστίας legem in Socratem proferri omnino non potuisse iam supra p. 6 commemoravimus. Eadem scelera, quae accusator Libanianus et Xenophonteus Socrati crimini dederunt, ei exprobravisse Catonem, censorem illum Romanum, Plutarchus Cat. c. 23 narrat: Σωκράτη φησὶ λάλον καὶ βίαιον γενόμενον ἐπιχειρεῖν, ᾧ τρόπῳ δυνατὸς ἦν, τυραννεῖν τῆς πατρίδος καταλύοντα τὰ ἔθη καὶ πρὸς ἐναντίας τοῖς νόμοις δόξας ἕλκοντα καὶ μεθιστάντα τοὺς πολίτας. Atque hoc idem crimen temporibus recentioribus in Socratem renovavit Forchhammer[1]).

II. Alterum accusationis caput: Socrates ceteros numina neglegere docet.

§ 29, p. $29,_{18}$—$30,_{3}$ εἰ γὰρ . . . οὔτ' ἂν ἠσέβητο τὸ θεῖον.

§ 110, p. $75,_{2-3}$ οὕτω φάσκε τοὺς ἄλλους ὑπ' αὐτοῦ πεπαιδεῦσθαι τῶν θεῶν ὀλιγωρεῖν.

Crimen igitur ἀσεβείας, quod primus Aristophanes nub. 247, 367, 827—830, 1477 Socrati obicit, atque quod in accusatione iudiciaria summum et gravissimum fuit, accusator a Libanio refutatus brevissime tetigit ac modo obiter argumentis suis inseruisse videtur et praeterea crimen laesae religionis in iudicio prolatum mutavit. Illi enim accusatores Socratem deos

---

[1]) Die Athener und Sokrates. Die Gesetzlichen und der Revolutionär, Berlin 1837, p. 24—40.

rei publicae negare novosque deos inducere insimulaverunt, hic autem accusator a Socrate cives ad deos neglegendos institui contendit; quod crimen Libanius peculiaribus argumentis dissolvere supersedet.

III. Tertium accusationis caput: Socrates adulescentes corrumpit.

§ 29, p. 29,18—30,3 *εἰ γὰρ . . . οὔτ᾽ ἂν ἡ νεότης διέφθαρτο.*

§ 102, p. 70,17—71,6 *νέοι δὲ πατέρων τε πρότερον ἄγοντες ἐκεῖνον, ὡς λέγεις, καὶ πρεσβυτέρων ἀδελφῶν ὑπερορῶντες καὶ καθάπερ ὑπὸ γόητος ἑλκόμενοι τοῦ Σωκράτους*[1] *τί πλέον ἂν ἐζήτησαν τοῦ νεῦσαι τὸν ἄνθρωπον; . . . γονεῖς τε ὑβριζόμενοι καὶ ἀδελφοὶ καταφρονούμενοι πάντως ἂν ἤλγησαν.*

Primus Socratem, quod adulescentes patres despicere atque aspere tractare doceret, Aristophanes nub. 1321—1453 criminatus est. Tum alterum illud actionis iudiciariae caput, quod adulescentibus a Socrate perditis continetur, a Meleto eo modo confirmatum esse, ut Socrati exprobraret, quod adulescentibus persuaderet, ut sibi magis quam parentibus oboedirent, testatur Xenophon apol. 20: *ἀλλὰ ναὶ μὰ Δί᾽, ἔφη ὁ Μέλητος, ἐκείνους οἶδα οὓς σὺ πέπεικας σοὶ πείθεσθαι μᾶλλον ἢ τοῖς γειναμένοις.* Plane aliter crimen illud sumptum de adulescentibus a Socrate depravatis apud Platonem declaratur. Meletus enim, ut adulescentes a Socrate corrumpi demonstret, primo illo accusationis capite cum hoc altero coniuncto Socrati, quod adulescentes deos a civitate creditos aspernari, alia vero nova numina credere doceat eoque modo profligatos reddat, obicit apud Platonem apol. 26 B: *πῶς με φῂς διαφθείρειν, ὦ Μέλητε, τοὺς νεωτέρους; ἢ δῆλον δὴ ὅτι κατὰ τὴν γραφήν, ἣν ἐγράψω, θεοὺς διδάσκοντα μὴ νομίζειν οὓς ἡ πόλις νομίζει, ἕτερα δὲ δαιμόνια καινά; οὐ ταῦτα λέγεις, ὅτι διδάσκων διαφθείρω; — πάνυ μὲν οὖν σφόδρα ταῦτα λέγω.* Uno autem loco crimen illud ab accusatoribus in iudicio ratione a Xenophonte narrata illustratum esse etiam in apologia Platonica perlucet. Accusatores

[1]) Socratem ab adulescentibus summopere amatum esse Libanius etiam in ep. 1083 commemorat: *ἐρᾷς γὰρ καὶ τὸ πραττόμενον εἴρηται, καὶ ἅμα παλαιὸν τοῦτό γε καὶ παρὰ Σωκράτει συμβάν· ἤρα γὰρ τοῦ γέροντος τὰ μειράκια.*

enim Socratem iniurias cognatis adulescentium inferentem in orationibus contra eum habitis appellavisse Plato apol. 34 A commemorat: *πάντας ἐμοὶ βοηθεῖν ἑτοίμους τῷ διαφθείροντι, τῷ κακὰ ἐργαζομένῳ τοὺς οἰκείους αὐτῶν, ὥς φασι Μέλητος καὶ Ἄνυτος.* Atque quod adulescentes a Socrate patres aliosque consanguineos contemnere discant, *ὁ κατήγορος* Socratem accusat etiam apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 49 *ἀλλὰ Σωκράτης γ', ἔφη ὁ κατήγορος, τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκε κτλ.*, — et I 2, 51—52 *ἀλλὰ Σωκράτης γ', ἔφη ὁ κατήγορος, οὐ μόνον τοὺς πατέρας ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους συγγενεῖς ἐποίει ἐν ἀτιμίᾳ εἶναι παρὰ τοῖς ἑαυτῷ συνοῦσι κτλ.* Sed argumentum, quo apud Xenophontem Socratem amicos modo benevolos inutiles esse, nisi etiam prodesse possent, docuisse *ὁ κατήγορος* criminatur, apud Libanium non invenitur. At accusator et Xenophonteus et Libanianus in explicando crimine iuventutis corruptae hac re consentiunt, quod adulescentes a Socrate non solum contra parentum aliorumque consanguineorum natu maiorum auctoritatem sed etiam contra rei publicae leges atque instituta concitatos esse contendunt. Opprobrium illud corruptionis adulescentium vulgo Athenis Socrati obiectum maxime eo argumento, quod hominibus natu maioribus coram adulescentibus malediceret, a Socratis inimicis confirmatum esse etiam Plato Gorg. 522 B testatur: *ἐάν τε τίς με ἢ νεωτέρους φῇ διαφθείρειν ἀπορεῖν ποιοῦντα, ἢ τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν λέγοντα πικροὺς λόγους κτλ.* At illud alterum Socratis adversariorum argumentum a Platone hoc loco allatum, quod adulescentium animos conturbaret dubitationesque iis iniceret, quod argumentum Plato iterat Men. 80 A: *Ὦ Σώκρατες, ἤκουον . . . ὅτι σὺ οὐδὲν ἄλλο ἢ αὐτός τε ἀπορεῖς καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς ἀπορεῖν*, et Theaet. 149 A: *λέγουσι περὶ ἐμοῦ, ὅτι δὲ ἀτοπώτατός εἰμι καὶ ποιῶ τοὺς ἀνθρώπους ἀπορεῖν*, illud argumentum neque ab accusatoribus iudiciariis neque ab accusatore Libaniano in Socratem adhibitum esse videtur.

IV. Quartum accusationis caput: Socrates et poetis summis obtrectat et auctoritate eorum abutitur.

1. Socrates poetas plurimi aestimatos vituperat.

§ 62, p. 48, 8–14 *Ἡσιόδου, φησίν, [ἔπη] καὶ Θεόγνιδος*

καὶ Ὁμήρου καὶ τῶν Πινδάρου μελῶν, τοὺς δὲ ποιητὰς τούτους καὶ δόξης καὶ τιμῶν τετυχηκέναι παρά τε τοῖς ἄλλοις καὶ ἡμῖν, τούτων, φησί, τῶν ἀνδρῶν ἐπιλαμβάνεται καὶ τῶν εἰρημένων οὐκ ὀλίγα δείκνυσι πονηρῶς ἔχοντα.

2. Socrates poetarum auctoritate ad flagitia docenda utitur.

§ 98, p. 68, 19–21 λέγεις· αὑτὸν μὲν ἀξιόπιστον οὐκ ἐνόμιζεν ἔσεσθαι, τῇ δὲ δόξῃ τῶν ποιητῶν ἐπὶ τὸ πείθειν ἐχρῆτο.

Atque Socratem poetarum clarissimorum versibus doctrinas malas ac scelestas confirmavisse ac fulsisse etiam accusator ille profert apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 56 ἔφη δ' αὐτὸν ὁ κατήγορος καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων ποιητῶν ἐκλεγόμενον τὰ πονηρότατα καὶ τούτοις μαρτυρίοις χρώμενον διδάσκειν τοὺς συνόντας κακούργους τε εἶναι καὶ τυραννικούς. Illud autem crimen, quo accusator Libanianus Socratem poetarum summorum ac plurimi aestimatorum carmina reprehendisse arguit, apud Xenophontem non invenitur.

V. Quintum accusationis caput: Socrates scelera gravissima docet: furta, fraudes, sacrilegia, vim, periuria.

§ 13, p. 20, 15—21, 2 Σωκράτην ... διδάσκαλον γενόμενον .... ἀδίκου κλοπῆς .... ἀπάτης .... ἱεροσυλίας .... ἐπιορκίας.

§ 109, p. 74, 12–13 διδάσκει γάρ, φησίν, ἐπιορκεῖν.

Cf. etiam § 103, p. 71, 14–15, § 110, p. 74 18—75, 7, § 112, p. 76, 6–8.

§ 86, p. 61, 16—62, 4 ἐρωτᾷ τὸν συνόντα, εἰ μὴ σοφὸς Ἡσίοδος ... τί δ'; οὐχ οὗτος ἔργον πᾶν ἐπαινεῖ φάσκων οὐδὲν ἔργον ὄνειδος εἶναι; κτλ.

Versum illum Hesiodeum opp. 311: ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος a Socrate laudatum esse accusator videtur contendisse, ut Socratem hoc versu ad irruptiones, furta, sacrilegia, fraudes docenda usum esse ostenderet [1]). Defensor autem

[1]) Cf. Schanz l. l. p. 43. — Versu illo Socratem adulescentes, ut rei publicae vim inferrent, incitare solitum esse Forchhammer l. l. p. 57 existimat. — Eundem versum apud Platonem Charm. 163 B. Critias comme-

Socratis Libanianus hunc versum usurpat, ut poetas nonnunquam iure ac merito a Socrate vituperatos esse demonstret. Eodem versu Socratem adulescentes ad omnia flagitia turpissima quaestus gratia facienda adhortatum esse accusator ille criminatur apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 56.

§ 87, p. 62, 9—12 *περὶ Πινδάρου διαλέγεται ... ὡς ὑπερτάτῃ χειρὶ βιάζεται τὸ δίκαιον.*

Hoc argumento accusator Socrati videtur exprobravisse, quod versu illo Pindarico adulescentes impelleret, ut legibus contemptis vim adhiberent[1]). Apud Libanium autem defensor Socratis versum illum laudat, ut Socratem recte adulescentes monere ostendat, ne omnes poetarum doctrinas sequantur. — Versus ille pars est fragmenti Pindarici 169, ed. Christ p. 418, quod editores sic scribunt: *Νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς | θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων | ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον | ὑπερτάτᾳ χειρί κτλ.* Verba Pindari genuina *δικαιῶν τὸ βιαιότατον | ὑπερτάτᾳ χειρί* iam ab accusatore mutata esse ex verbis Libanianis sequitur § 87, p. 62, 13—14 *Ἄνυτος ἐτόλμησε μεταγράψαι τὸ τοῦ ποιητοῦ.* Quibus ex verbis Gercke[2]) accusatorem versus Pindaricos in prosam orationem transcripsisse sine ulla necessitate concludit.

§ 88, p. 63, 4—6 *σκέψασθε, πότερον Θέογνις ὀρθῶς φρονεῖ νομίζων πάντα δεῖν ποιεῖν ὑπὲρ χρημάτων ὡς τῆς πενίας σιγᾶν ἀναγκαζούσης.*

Versus Theognideos 173—182, imprimis v. 173 *Ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιστα*, vv. 177—178: *πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν | οὔθ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται*[3]), accusator videtur attulisse, ut Socratem

morat, ut inter *ποίησιν* et *πρᾶξιν* et *ἐργασίαν* plurimum interesse explicet. — Libanius ipse ad versum illum alludit etiam in ep. 351: *εἰ δ' οἴει δεῖν, ἃ φαμεν, ποιεῖν, μὴ μέλλε, πειθόμενος Αἰσχύλῳ καὶ ἔτι πρότερον Ἡσιόδῳ.*

[1]) Aliter hoc accusatoris argumentum explicat Schanz l. l. p. 42.

[2]) Platons ausgewählte Dialoge, erkl. v. H. Sauppe, 3. Bändchen: Gorgias, hrsg. v. A. G., Berlin 1897, Einl. p. XLVIII. Cf. Foerster, praef. p. 4 [5].

[3]) Illam translationem imitatur auctor decl. II, § 7, p. 130, 17—19: *μὴ χεῖρας μόνον καὶ πόδας δεδέσθαι — ἀλλὰ καὶ τὴν γλῶτταν αὐτοῦ.* Simili locutione utitur Ioannes Hagioelita, De passione S. Basilii presbyteri Ancyrani narratio, ed. Kraschenninikov, Iurievi Livonorum 1907, p. 8, 23—24: *τὴν γλῶτταν πεδηθείς.*

argueret, quod his versibus adulescentes omnia facinora, furta, fraudes, sacrilegia quaestus parandi causa audenda esse doceret[1]. Apud Libanium autem Socratis defensor illis versibus utitur, ut poetas non semper recta aut iusta suadere, Socratem igitur merito poetarum carmina vituperavisse demonstret.

§§ 93—94, p. 66, 6—67, 4 *Οὐκ ὀρθῶς, ὦ νέοι, πεποίηκεν Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι τοὺς μὲν τοῦ δήμου τυπτομένους ὑπ' Ὀδυσσέως, ὅτ' ἀποπλεῖν ὥρμηντο, τοὺς δ' ἐν τέλει λόγοις κατεχομένους καὶ τούτοις ἡμέροις κτλ.*

Cf. etiam § 97, p. 68, 13—17.

Socrati igitur, quod versibus illis Homericis *B* 188—206, quibus Ulixes reges verbis vituperans, homines vulgares verberans inducitur, abusus homines humiles ac pauperes opprimendos esse doceret, accusator a Libanio refutatus imputavit. Idem crimen Socrati exprobrat etiam accusator ille apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 58: *τὸ δὲ Ὁμήρου ἔφη ὁ κατήγορος πολλάκις αὐτὸν λέγειν, ὅτι Ὀδυσσεὺς . . . κτλ.*

ταῦτα δὴ αὐτὸν ἐξηγεῖσθαι, ὡς ὁ ποιητὴς ἐπαινοίη παίεσθαι τοὺς δημότας καὶ πένητας. — Quod crimen sumptum de versibus illis Homericis ut a Socrate in malam partem adhibitis defensor Socratis Libanianus duplici ratione destruit: Socratem enim § 97, ut homines vulgares male tractandos esse doceret, versus illos Homericos umquam laudavisse negat et §§ 93—94 Homerum, cum viros potentissimos parvam, homines humiles gravem poenam accipientes fingat, non recte iustum definivisse (§ 93, p. 66, 10 *τὸ δίκαιον ὁρίζειν*) vel divisisse (§ 93, p. 67, 1 *διῄρει τὸ δίκαιον*), vituperatione igitur dignum esse explicat. Libanius igitur illud accusatoris argumentum, quo ille Socratem Homeri auctoritate ad malas doctrinas propagandas abusum esse criminatus erat, ad refutandum illud crimen adhibuit, quo ille Socrati obiecerat, quod poetarum carmina reprehenderet. Omnino igitur Libanius accusatoris argumenta sumpta de Hesiodi, Pindari, Theognidis, Homeri carminibus ut a Socrate malo consilio adhibitis in suum usum conversa mu-

[1]) Aliter hoc accusatoris argumentum interpretatus est Schanz l. l. p. 43, aliter etiam Joël, Der echte und der Xenophontische Socrates, II 2, Berlin 1901, p. 1135.

tavit; argumentis enim ad Socratem accusandum, quod poetarum versibus ad maleficia docenda abuteretur, ab accusatore excogitatis crimen dissolvit, quo ille Socratem poetarum carmina vituperare insimulaverat.

§ 95, p. 67, 11–14 *μή μοι μηδὲ τὰς ἀδίκους Αὐτολύκου κλοπὰς μηδὲ τὰς ἐπιορκίας Ἑρμοῦ δῶρα ἡγεῖσθε μηδὲ μισθὸν τῶν πολλῶν καὶ κεχαρισμένων θυσιῶν.*

Hoc argumentum pertinens ad Autolyci fraudes ab Homero τ 392—398 narratas accusator videtur protulisse, ut Socratem Autolyci fraudes, furta, periuria laudantem adulescentes ad eiusmodi facinora committenda adhortatum esse argueret [1]). Libanius autem defensorem Socratis iudices facit monentem, ne Autolyci scelera Mercurii dona esse putent, ne igitur Homeri impiam de Mercurio doctrinam veram esse credant; dignum igitur esse Homerum qui reprehendatur defensor Socratis apud Libanium ostendit. Rursus igitur Libanius accusatoris argumentum ad Socratem accusandum inventum ad illum defendendum vertit [2]).

§ 105, p. 72, 8–11 *τί οὖν ἠδίκει Σωκράτης ἢ Μέλανθος ὡς ἐνίκησε λέγων, . . . ἢ τὸν Ὀδυσσέα φάσκων ἐπὶ τῇ τοῦ Παλλαδίου τιμηθῆναι κλοπῇ.*

§ 123, p. 83, 1–3 *ἔφασκεν Ὀδυσσέα διὰ τὴν ἱεροσυλίαν τὰ καὶ τὰ πεπονθέναι, τὰ μὲν ἐν γῇ, τὰ δὲ καὶ ἐν θαλάττῃ, καὶ τὰ μὲν ἐν τῇ κομιδῇ, τὰ δὲ οἴκοι.*

Quibus ex verbis Libanianis accusatorem sequitur Socrati exprobravisse, quod adulescentes ad fraudandum adhortaturus Melanthum propter victoriam de Xantho, Boeotorum rege, mendacio reportatam praedicaret, et quod, ut sacrilegia doceret, Ulixem ob Palladii raptum laudibus efferret [3]). Ac priore quidem argumento accusator narrationem illam de Melantho Atheniensi certamine singulari pro Thymoeta rege suspecto Xanthum Boeotorum regem dolo vincenti a multis auctoribus veteribus

[1]) Cf. Schanz l. l. p. 43.

[2]) Ad Autolyci furta, quae in proverbium abierunt, Libanius etiam alludit in ep. 49: *τοῦ τε γὰρ Εὐρυβάτου τὸ πονηρεύεσθαι, τοῦ τε Αὐτολύκου τὸ κλέπτειν*, nec non Themistius or. XXI 251 c: *ὥσπερ ὁ Αὐτόλυκος τὰ φώρια, τὰ αὐτὰ πανταχοῦ ξυμπεριφέρει.*

[3]) Cf. Schanz l. l. p. 44.

traditam [1]) commemoraverat, ex quibus commentatorem Platonis, schol. Tim. 21 B attulisse satis sit: *Ἀπατούρια ἑορτὴ Ἀθήνησιν εἰς Διόνυσον ἐκ τοῦδε· Μελάνθιος ἀντὶ Θυμοίτου τοῦ βασιλέως Ἀθηναίων Ξάνθῳ μονομαχῶν τῷ Βοιωτῷ ἠπάτησεν αὐτὸν κτλ.* (Platonis opera rec. Baiter-Orelli-Winckelmann, Turici 1839, p. 947, 16–24; eadem fere narrantur schol. Plat. symp. 208 D l. l. p. 960, 16–38.) Altero vero argumento sumpto de Ulixe Palladium rapienti accusator eam fabulam respexerat, qua Ulixem solum Palladium ex arce Troiana abstulisse cum alii auctores narrant tum Antisthenes in declamatione *Αἴας* inscripta §§ 3, 6 et in declamatione *Ὀδυσσεύς* [2]) inscripta §§ 3, 4, 8 (Oratt. Att. rec. Baiter-Sauppe II, Turici 1850, p. 167—169). Hanc fabulae versionem, qua Ulixes solus simulacrum Minervae rapuisse traditur, ex Ionis fabula *Φρουροί* inscripta fluxisse Fernand Chavannes [3]) probabiliter opinatur.

§ 107, p. 73, 7–9 *ὁ δὲ Θυέστης καὶ τὸ τοὺς Ἕλληνας ὑπὸ τῶν ὑμετέρων ἐξηπατῆσθαι πατέρων ἐμβέβληται παρὰ τῆς Ἀνύτου πονηρίας.*

Accusator igitur Socrati obiecerat, quod non solum Ulixem et Melanthum hostes decipientes sed etiam Thyestem et Atheniensium fraudem in ceteros Graecos admissam laudans fraudes aliaque eiusmodi facinora erga propinquos et affines committenda doceret. Ac Thyestem accusator commemorans cogitavit de fabula illa, qua Thyestem Atreo fratri agnum vellere aureo ornatum, signum regni, auxilio Aëropes, Atrei uxoris, verbis dolosis pellectae, usum furto subduxisse poetae veteres tradiderunt [4]), ex quibus Euripidem El. 718—723 in memoriam revocavisse satis sit. Altero autem argumento sumpto de Graecis ab Atheniensibus deceptis accusatori obversatus est dolus ille, quo Themistocles Atheniensis ante pugnam Sala-

---

[1]) Cf. Roscher, Ausführliches Lexikon der griech. und röm. Mythologie II 2, Leipzig 1894—1897, s. v. Melanthus, p. 2583. — Libanius ipse Melanthi mentionem facit etiam in vita sua, *Βίος ἢ περὶ τῆς ἑαυτοῦ τύχης,* § 73, I p. 119, 17 sq. F.

[2]) Has declamationes a nonnullis abiudicatas Antistheni gravibus argumentis retribuit Ioël l. l. II 1, p. 300—302.

[3]) De Palladii raptu, diss. Berolini 1891, p. 55.

[4]) Cf. Roscher l. l. I s. v. Atreus p. 713.

miniam, cum Xerxem, regem Persarum, ut classem Graecam cingeret, commovisset, Graecos coegit, ut pugnam navalem cum Persis inire auderent; quam rem [1]) narrat Herodotus VIII 75—84.

Primordia totius criminis illius, quo Socrates scelera gravissima docuisse arguitur, inveniuntur apud Aristophanem, qui nub. 177—179, 1498 primus Socratem ut furtorum magistrum irrisit. At accusatores iudiciarios facinora illa capitalia ab accusatore Libaniano imputata Socrati non obiecisse aperte testatur Xenophon apol. 25: *ἐφ᾽ οἷς γε μὴν ἔργοις κεῖται θάνατος ἡ ζημία, ἱεροσυλίᾳ, τοιχωρυχίᾳ, ἀνδραποδίσει, πόλεως προδοσίᾳ, οὐδ᾽ αὐτοὶ οἱ ἀντίδικοι τούτων πρᾶξαί τι κατ᾽ ἐμοῦ φασιν.* Atque omnino Socratem eiusmodi maleficia umquam commisisse aut ad illa alios adduxisse negat Xenophon comm. Socr. I 2, 62—63: *κατὰ γὰρ τοὺς νόμους, ἐάν τις φανερὸς γένηται κλέπτων ἢ . . . ἢ ἱεροσυλῶν, τούτοις θάνατός ἐστιν ἡ ζημία· ὧν ἐκεῖνος πάντων ἀνθρώπων πλεῖστον ἀπεῖχεν κτλ.* Quo loco Xenophon eandem Socratis accusationem quam Libanius videtur repellere. In apologia autem Socratis Xenophontem illam accusationem respexisse, id quod Beyschlag l. l. p. 12—14 opinatur, non est existimandum; ille enim apol. 25 generaliter modo nonnulla exempla scelerum morte piandorum affert non aliter ac Plato Pol. I 344 B, IV 443 A, IX 575 B.

VI. Sextum accusationis caput: Socratis vitia clandestina graviora sunt apertis.

§ 37, p. 34, 7—9 *μᾶλλον ἄν τις αὐτῷ τὸ τὰ πλήθη διώκειν ἐπ᾽ αἰτίαν ἤγαγεν ἢ τὸ τοῖς νέοις οὐδενὸς παρόντος ὁμιλεῖν.*

§ 117, p. 79, 6—7 *φησὶν αὐτὸν φεύγειν μὲν τοὺς ἄνδρας, θηρεύειν δὲ τὴν νεότητα.*

Cf. etiam § 114, p. 77, 12—16.

[1]) Eundem Themistoclis dolum Libanius etiam in declamatione *ὁ Νεοκλῆς* inscripta commemorat: *ἀλλὰ τὴν μεγάλην ταύτην καὶ θαυμαστὴν ναυμαχίαν, πῶς συνήγαγες; ἆρ᾽ ἑκόντων Ἑλλήνων καὶ βουλομένων συμπλέκεσθαι; καὶ μὴν ἐδέδοκτο φεύγειν καὶ ζητεῖν αἰσχρὰν σωτηρίαν, ἀλλ᾽ ὅμως ταῦτα ἐγνωκότας ἔδειξας ἐξαίφνης ἐν μέσῳ τῶν βαρβάρων κτλ.* rec. Reiske IV p. 378, 25—379, 2 (= t. V p. 467 sq. ed. Foerster).

Hoc crimen, quo Socrates cum pueris vel adulescentibus locis secretis vitia turpissima factitavisse apud Libanium arguitur, neque Aristophanes neque accusatores iudiciarii ei inferre ausi sunt; nec magis illud opprobrium accusator ille Xenophonteus Socrati obicit. Itaque Schanz l. l. p. 45 hoc accusandi caput nulli criminum e Xenophontis comm. Socr. I 2, 9–61 promptorum subiungere potuit. At posterioribus saeculis Socrati libidinem et res venereas in adulescentulos admissas opprobrio dederunt Lucianus[1]) v. h. II 19, Philostratus ep. 7 (epistologr. Gr. rec. Hercher p. 469), auctor fabulae illius Romanensis[2]), quae inscribitur Clementina V 18 (ed. de Lagarde p. 69, 8 13), et ex auctoribus Christianis Socratem aggressis Tertullianus apolog. 46, Cyrillus c. Iulian. VI 186 D—187 A[3]).

VII. Septimum accusationis caput: Socrates cives reddit inertes.

§ 13, p. 20, 15—21, 2 *Σωκράτην ... διδάσκαλον γενόμενον ... ἀργίας.*

§ 127, p. 84, 18 *ἀργούς, φησίν, ἐποίει Σωκράτης.*

1. Socrates cives cum ab aliis quaestibus tum ab agricultura abducit.

§ 129, p. 86, 12–15 *εἰ δ' οἷς οἰκέται πολλοί, καὶ σὺ δὲ τοῦτο ὡμολόγηκας, Ἄνυτε, πλησιάζειν Σωκράτει λέγων οὐ τοὺς ταπεινοτάτους, πῶς ἄσπορον ἐποίει τὴν χώραν καὶ τὴν γῆν ἀπεστέρει γεωργῶν;*

Cf. § 132, p. 88, 16.

2. Socrates rei publicae gerendae non interest aliosque a re publica administranda avertit.

§ 133, p. 89, 9–10 *οὐ λέγει παριών ... οὗτος ἀργῶν Ἀθήνησι διαγέγονεν.*

---

[1]) Cf. Geffcken l. l. p. 42.

[2]) Cf. ib. p. 43.

[3]) De libidine videtur etiam cogitavisse duas malas naturas Socratis commemorans auct. decl. II, § 4, p. 129, 1-2 *δύο (ἰδίων F.) μὲν φύσεων πονηρῶν ὡς οἷόν τε ἦν κρείττων γενόμενος.*

3. Socrates pecuniae quaestu spreto pauperrimus vectigalibus non pensitatis rei publicae nihil prodest.

§ 52, p. 43, 13 *τῶν εἰσφερόντων οὐκ ἔστιν.*

§ 134, p. 89, 16—90, 6 *τραπεζίτης γὰρ οὐκ ἔστι . . . ἀδικεῖ. σὺ δ' ὅτι μὲν οὐκ εὐπορεῖ, μέμφῃ, . . .; . . . τοῦτον . . . πενόμενον . . . ἀδικεῖν λέγεις;*

Primus Socrati ut viro languori et desidiae dedito illusit Aristophanes nub. 316, 334 et ran. 1498. Tum accusatores iudiciarios Socratem, quod civis piger minimeque rei publicae utilis esset, arguisse inde mihi sequi videtur, quod Plato apol. 28 E—34 B maxime operam dat, ut eum civem domi militiaeque optimum civitatique utilissimum fuisse ostendat[1]). Apud Xenophontem in comm. Socr. hoc crimen Socrati obiectum non reperitur; qua de causa Schanz l. l. p. 37 id in argumentis ad primum accusationis caput spectantibus ponit; at eum illud cum crimine sumpto de statu rei publicae populari ut a Socrate impugnato non recte coniunxisse inde apparet, quod accusator Libanianus hoc crimen, quod continetur inertia a Socrate propagata, argumentis non modo ad rem publicam sed etiam ad vitam privatam pertinentibus confirmavit. Nec rectius Gercke l. l. p. XLV cum crimine pigritiae copulat illud Socratis obtrectatorum argumentum, quo adulescentes *ἀπορεῖν ποιεῖν* insimulatur; quam interpretandi rationem accipiendam non esse inde efficitur, quod illud argumentum ab accusatore Libaniano omnino non prolatum esse videtur (cf. supra p. 9), et quod Plato Gorg. 522 B illud aperte cum crimine sumpto de adulescentibus a Socrate corruptis componit.

VIII. Octavum accusationis caput: Socrates Alcibiadis et Critiae magister fuit.

§ 136, p. 90, 15—91, 1 *πονηρῶν δέ, ὦ ἄνδρες, ἔργων διδάσκαλον*[2]) *⟨αὐτὸν⟩ Ἄνυτος καλῶν καὶ φάσκων ὑμῖν ὑπ' αὐτοῦ διεφθάρθαι τοὺς νέους οὐκ ἔσχε πλὴν Ἀλκιβιάδου καὶ Κριτίου μνησθῆναι.*

---

[1]) Cf. Menzel l. l. p. 40—41.

[2]) Sic scribit Foerster; melior mihi tamen plurimorum codicum lectio

§ 35, p. 33, 10–12 *ἀνδρῶν τεθνεώτων ἐμέμνησο φάσκων ὑπὸ μὲν ἐκείνων κακῶς πεπονθέναι τὴν πόλιν, αὐτοὺς δὲ ὑπὸ τούτου διεφθάρθαι.*

§ 148, p. 99, 5–6 *Κριτίας ἐλύπησε τὸν δῆμον ... ὑμᾶς ἀφείλετο τὴν παρρησίαν.*

Cf. § 150, p. 100, 6.

Alcibiadem Critiamque verisimile est fuisse inter eos Socratis amicos, quos ut homines a Socrate perditos civesque pessimos factos ab accusatoribus iudiciariis prolatos esse testatur Plato apol. 33 A *οὕς οἱ διαβάλλοντές ἐμέ φασιν ἐμοὺς μαθητὰς εἶναι.* Tum Socrati, quod Alcibiades et Critias, familiares eius, rei publicae plurima mala intulerint, opprobrio vertit *ὁ κατήγορος* apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 12 *ἀλλὰ Σωκράτει γ', ἔφη ὁ κατήγορος, ὁμιλητὰ γενομένω Κριτίας τε καὶ Ἀλκιβιάδης πλεῖστα κακὰ τὴν πόλιν ἐποιησάτην κτλ.* Hoc crimen Socrati ab accusatore quodam obiectum repetunt et Aelius Aristides in altera *περὶ ῥητορικῆς* oratione: *ἐνθυμοῦμαι δ' ἔγωγε πῶς ἀνέχεσθαι χρὴ ὅτ' Ἀλκιβιάδην μὲν καὶ Κριτίαν Σωκράτει συγγενομένους ... κτλ.* (rec. Dindorf II p. 111) et ex auctoribus Christianis in Socratem invectis Lactantius inst. div. III 19, 25.

IX. Nonum accusationis caput: Socrates est sophista.

§ 5, p. 16, 15 *ὡς ... εἴη δεινὸς λέγειν.*

§ 52, p. 43, 12 *σοφιστὴς καλεῖται.*

Primus Socratem ut sophistam in dicendi arte versutissimum depinxit Aristophanes nub. 94—118, 239, 260. 317—318, 331—333, 358—363, 424, 431—432, 486, 649—651, 657—659, 740—792, 1106, 1111, 1150—1153. Omnino Socratem a plurimis Atheniensibus aequiperatum esse sophistis testatur Plato apol. 23 D, atque etiam in iudicio Meletum eum pro Anaxagora Clazomenio sumpsisse narrat idem Plato apol. 26 D. Imprimis autem Socratem, quod artis oratoriae peritissimus esset, ut accusatorem Libanianum ita accusatores iudiciarios calumniatos esse commemorat Plato apol. 17 A *ἔλεγον, ὡς χρὴ ὑμᾶς εὐλα-*

---

videtur: *πονηρὸν δέ, ὦ ἄνδρες, πονηρῶν ἔργων διδάσκαλον.* Sic enim *ἀναδίπλωσις* sive *παλιλλογία* dicendi figura servatur.

βεῖσθαι. μὴ ὑπ᾽ ἐμοῦ ἐξαπατηθῆτε ὡς δεινοῦ ὄντος λέγειν. Posterioribus vero temporibus Socrati, quod in arte oratoria acerrimus ac promptissimus esset, exprobravit Idomeneus Lampsacenus apud Diog. L. II 19 ἦν γὰρ καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς δεινός, ὥς φησι καὶ Ἰδομενεύς et Favorinus l. l. (cf. supra p. 5).

1. Athenienses plurimos sophistas gravissimis poenis affecerunt.

§ 153, p. 102, 13–15 *λέγει*[1]) *τοίνυν τὴν πρὸς τοὺς σοφιστὰς ὑμῶν ὀργήν, τὸν Ἀναξαγόραν, τὸν Πρωταγόραν, τὸν Διαγόραν.*

§ 157, p. 105, 4–9 *Δάμων δέ, εἰ μὲν ἠδίκει, καλῶς ἐκβέβληται· ... φησὶν ἐπ᾽ ἐλάττοσιν αἰτίαις ἐξελαθῆναι τὸν Δάμωνα, ἔτι δὲ μηδὲ ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν αἰτίαν τοῦ καταλύειν τὸν δῆμον λαβεῖν, ὥσπερ τὸν νυνὶ κρινόμενον.*

2. Viri sophistarum consuetudine non usi cives optime de re publica meriti facti sunt.

§ 73, p. 55, 3–4 *ἐπαινῶν Θησέα τοῦ τῆς ἀρχῆς ἣν εἶχεν ἀποστῆναι.*

§ 152, p. 101, 16 — 102, 1 *Θησεὺς μὲν συνῴκισε τὴν πόλιν καὶ τὴν ἀρχὴν ἣν εἶχεν ἀφῆκε, Σόλων δὲ Σαλαμῖνά τε προσηγάγετο καὶ χρεῶν ἀποκοπὰς εἰσηγήσατο καὶ ταῦτα πέντε*[2]) *ταλάντων ὀφειλομένων αὐτῷ.*

§ 155, p. 104, 1–3 *καὶ διεξῄει τοὺς τοῖς σοφισταῖς οὐ συγγενομένους ὡς ἀγαθοὺς ἄνδρας γεγενημένους, τὸν Μιλτιάδην, τὸν Θεμιστοκλέα, τὸν Ἀριστείδην.*

§ 160, p. 106, 11–12 *οὓς δὴ καὶ περὶ Θρασυβούλου καὶ Κόνωνος κτλ.*

Idem argumentum, quod accusator Socratis apud Libanium, in sophistarum disciplinam imminuendam adhibet Isocrates or. XIII 14 *ἡγοῦμαι πάντας ἂν μοι τοὺς εὖ φρονοῦντας συνειπεῖν, ὅτι πολλοὶ μὲν τῶν φιλοσοφησάντων ἰδιῶται διετέλεσαν ὄντες, ἄλλοι δέ τινες οὐδενὶ πώποτε συγγενόμενοι τῶν σοφιστῶν καὶ λέγειν καὶ πολιτεύεσθαι δεινοὶ γεγόνασιν.*

[1]) Sic scribunt codd.; Foerster in textu ponit *λεγέτω*.

[2]) *ἑπτὰ* scribendum esse censet Duemmler, Herm. 27. 261 ².

3. Sophistae civitatibus saepe sunt perniciei.

§ 101, p. 70, 13–15 *Ἄνυτος . . . κατατολμῶν τῶν μεγίστην δόξαν ἐχόντων ἐπὶ σοφίᾳ.*

§ 134, p. 90, 3–4 *Λακεδαιμονίους μὲν ἄριστα πολιτεύεσθαι νομίζεις οὐ φύντος αὐτόθι σοφιστοῦ.*

§ 158, p. 105, 13–19 *τίς οὐκ ἂν στενάξειε Βίαντος κακῶς ἀκούοντος . . . καὶ μετὰ Βίαντος πολλῶν ἑτέρων δι' οὓς σεμνὴ γέγονεν ἡ Ἰωνία; οὐ διὰ Μέλισσον καὶ Θαλῆν καὶ Πυθαγόραν ἤρχθησάν τε καὶ ἐστασίασαν οἱ τὰς πόλεις ἔχοντες.*

Praeter haec crimina et argumenta ex accusatione quadam Socratis a Libanio prompta in declamatione eius etiam nonnullae aliae res ab accusatore prolatae inveniuntur, quae cum singulis accusandi capitibus certo coniungi non possunt:

§ 1, p. 13, 2–4 *πείθων ὑμᾶς ὡς ἀνάγκη κακῶς οἰκεῖσθαι τὴν πόλιν μὴ τούτου δόντος δίκην.*

§ 2, p. 14, 15–16 *ἡμᾶς δέ, οὓς λυπεῖν ὡμολόγηκεν Ἄνυτος τοῖς κατὰ Σωκράτους λόγοις.*

§ 14, p. 21, 10–12 *οὐκ ἐξενεχθεὶς ἐπὶ τὰ χείρω καὶ βουληθεὶς γενέσθαι κάκιστος, ὡς οὗτοί φασιν.*

§ 50, p. 42, 8 *τὸν φάσκοντα τῶν νόμων φροντίζειν.*

§ 52, p. 43, 12–13 *πολλοῖς προσκέκρουκε. κεκωμῴδηται.*

§ 88, p. 63, 8–10 *ἤρκει μὲν ⟨ἂν⟩ αὐτὰ τὰ παρὰ τοῦ διώκοντος εἰς τὴν ἀπολογίαν ἡμῖν, ὁ Λάμπρος, ὁ Φειδίας.*

Cum igitur in Libanii apologia Socratis tantus variorum argumentorum numerus ac tot crimina Socrati obiecta, quae tres illi accusatores in iudicio aut aliter (cf. supra p. 7–8) aut omnino non protulerunt (cf. s. p. 6–7, 15), afferantur, rhetorem Antiochenum illa crimina aut argumenta ex illa accusatione iudiciaria non prompsisse patet et ex libello quodam in Socratem scripto hausisse verisimillimum est. At, cum nonnulla crimina, 1) primam partem primi accusationis capitis, 2) tertium accusationis caput, 3) alteram partem quarti, 4) duo argumenta ad explicandum quintum adhibita, 5) octavum etiam apud Xenophontem ὁ *κατήγορος* Socrati imputet, Libanium haec crimina et argumenta ex illis locis Xenophonteis mutuatum esse facile

quispiam dicat[1]). Quam opinionem veram esse non posse cum vel inde verisimile est, quod cetera crimina et accusatoris argumenta a Libanio allata apud Xenophontem non exstant, tum ex criminibus et Libanio et Xenophonti communibus atque ex argumentis ab utroque auctore ad illa refutanda usurpatis inter se comparatis apparebit.

Ac primum quidem crimen, quo Socrates cum cives tum adulescentes leges civitatis contemnere docuisse arguitur, Libanium e Xenophontis comm. Socr. I 2, 9 non delibavisse vel ea re efficitur, quod illud crimen apud Libanium pars modo est amplioris accusandi capitis de imperio populari ut a Socrate impugnato sumpti, quod, cum neque ipsum neque partes eius ceterae atque graviores apud Xenophontem inveniantur, ex alia quadam Socratis accusatione fluxisse necesse est. Tum locum illum Xenophonteum Libanio hoc crimen non suppeditavisse inde sequitur, quod etsi nonnullae locutiones Libanianae cum Xenophonteis congruunt, ut:

Libanianae:	Xenophonteae:
§ 13, p. 21, 2 ὑπεροψίας τῶν νόμων	I 2, 9 ὑπερορᾶν .... τῶν καθεστώτων νόμων
§ 165, p. 109, 10 ὑπερορᾶν τῶν νόμων	
§ 49, p. 41, 10—11 καταφρονεῖν ... τῶν νόμων	I 2, 9 καταφρονεῖν τῆς καθεστώσης πολιτείας
§ 116, p. 78, 16—17 καταφρονεῖσθαι τοὺς νόμους καὶ κινεῖσθαι τὴν πολιτείαν	

tamen accusatorem a Libanio refutatum illud crimen etiam aliis verbis circumscripsisse e ceteris locis Libanianis supra p. 5 allatis intellegitur. Imprimis vero Libanium crimen illud loco illi Xenophonteo non debere ex hac re apparet, quod in hoc crimine refutando a Xenophonte summopere discedit; Xenophon enim hoc accusatoris crimen duobus argumentis[2]) refellit, priore

[1]) Cf. Y. H. Rogge, Libanii apologia Socratis. Amstelodami 1891, p. 7—8.

[2]) Verba inde ab ἐγὼ δ' οἶμαι usque ad πειθομένῳ χρῆσθαι ab interpolatore graviter corrupta esse sine causa sufficienti censet Hartmann, Analecta Xenophontea, Lugduni Batavorum et Lipsiae 1887, p. 124.

I 2, 10, quod viri prudentes ac se idoneos esse rati, qui cives utilia doceant, minime ad vim descendunt, cum violentiae inimicitias ac pericula adhaerere, persuadendo autem easdem res sine periculis atque cum amicitiis effici posse sciant, altero I 2, 11, quod homini vim ceteris inferre conato multis opus est sociis, nullis autem ei, qui persuadere potest; minime enim est, cur huiusmodi viri necem adhibeant. Libanius autem crimen illud attinens ad Socratem ut magistrum contemptionis legum, quamquam illud simul cum toto accusationis capite primo §§ 47—61, p. 40,$_{4}$—48,$_{6}$ repellit, tamen etiam tribus argumentis peculiaribus plane aliis ac Xenophon refutat: primo § 80, p. 58,$_{10}$—59,$_{3}$, quod nemo Athenis per tot annos Socratem reum fecit, altero §§ 80—83, p. 59,$_{4}$—60,$_{18}$, quod leges non bonas abolere per leges ipsas licet, tertio § 84, p. 60,$_{19}$—61,$_{6}$, quod ex Socratis de legibus sermonibus nullum rei publicae damnum ortum est. Universum autem illud primum accusandi caput, accusationem perduellionis, Libanius, etiamsi in uno argumento ad hanc incusationem repellendam usurpato, § 48, p. 41,$_{4-6}$ *ῥᾳδίως γ' ἂν ὁ ἄνθρωπος ἐμισθοδότησε δορυφόρους καὶ ξενικὸν συνεστήσατο καὶ πολλοὺς οἰκέτας ὥπλισεν*, similes sententias profert ac Xenophon comm. Socr. I 2, 11 *ἀλλὰ μὴν καὶ συμμάχων ὁ μὲν βιάζεσθαι τολμῶν δέοιτ' ἂν οὐκ ὀλίγων*, tamen ceteroquin crimen illud omnino quattuor argumentis rursus plane aliis ac Xenophon dissolvit: primo §§ 34—46, p. 32,$_{13}$—40,$_{3}$, quod Socratem usque ad vitae annum septuagesimum nullus accusator in ius vocavit; altero §§ 47—48, p. 40,$_{4}$—41,$_{6}$, quod amentiae est in virum per totam vitam locis publicis de rebus quibuslibet philosophatum easdem accusationes quas in rhetores ac viros potentes in re publica versatos intendere; tertio §§ 49—52, p. 41,$_{7}$—43,$_{17}$, quod non solus Socrates, sed etiam adulescentes ab eo corrupti accusandi sunt; quarto §§ 53—61, p. 43,$_{18}$—48,$_{6}$, quod neque colloquia Socratis neque res ab eo factae ulla documenta ad accusationem illam demonstrandam praebent. Libanium igitur crimen quod continetur legum contemptu ut a Socrate propagato, cum et plane aliis atque Xenophon illud refutet argumentis et e parte aliis exprimat verbis et modo ut membrum quoddam gravioris atque amplioris incusationis proferat, ex loco illo Xenophonteo non sumpsisse iam satis videtur patere.

Nec magis Libanium tertium accusationis caput ex adulescentibus a Socrate depravatis promptum, quod etiam apud Xenophontem l. l. (cf. supra p. 9) *ὁ κατήγορος* in Socratem profert, ex his locis Xenophonteis hausisse inde apparet, quod cum in criminis et materie et forma tum in illo redarguendo minime cum Xenophonte consentit. Quamquam enim et apud Libanium et apud Xenophontem Socrates patrum aliorumque cognatorum auctoritatem apud adulescentes imminuisse arguitur, tamen et in re et in verbis inter utrumque auctorem complures exstant differentiae: primum quod

apud Libanium adulescentes Socratem patribus praeferunt,

§ 102, p. 70, 17—71, 1 *νέοι δὲ πατέρων τε πρότερον ἄγοντες ἐκεῖνον*

apud Xenophontem adulescentes prae Socrate pro sapientissimo habito patres ceterosque homines nihili putant,

I 2, 49 *πείθων μὲν τοὺς συνόντας ἑαυτῷ σοφωτέρους ποιεῖν τῶν πατέρων,*

I 2, 52 *ἀναπείθοντα οὖν τοὺς νέους αὐτὸν ὡς αὐτὸς εἴη σοφώτατός τε καὶ ἄλλους ἱκανώτατος ποιῆσαι σοφοὺς οὕτω διατιθέναι τοὺς ἑαυτῷ συνόντας ὥστε μηδαμοῦ παρ᾽ αὐτοῖς τοὺς ἄλλους εἶναι πρὸς αὐτόν,*

tum quod

apud Libanium adulescentes a Socrate adducti fratres natu maiores despiciunt,

§ 102, p. 71, 1—2 *πρεσβυτέρων ἀδελφῶν ὑπερορῶντες*

§ 102, p. 71, 5—6 *ἀδελφοὶ καταφρονούμενοι*

apud Xenophontem Socrates apud adulescentes omnes ceteros consanguineos parvi aestimatos reddit,

I 2, 51 *οὐ μόνον τοὺς πατέρας ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους συγγενεῖς ἐποίει ἐν ἀτιμίᾳ εἶναι παρὰ τοῖς ἑαυτῷ συνοῦσι.*

postremo quod

apud Libanium parentes ab adulescentibus a Socrate instructis superbe vexantur	apud Xenophontem adulescentes a Socrate educati patres probrose tractant
§ 102, p. 71, 5 γονεῖς τε ὑβριζόμενοι	I 2, 49 τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκε.

Maior etiam discrepantia inter utrumque auctorem valet in illo accusationis capite refutando. Xenophon enim crimen illud pertinens ad Socratis doctrinam patrum auctoritates diruentem destruit I 2, 50, cum Socratem disquirentem, quantum interesset inter furorem et ignorantiam, furibundos vinciendos, ignorantibus discendum esse arbitratum esse narrat; crimina autem illa cetera, quibus accusator Socrati obiecerat, quod adulescentes in cognatos et in amicos et in omnes homines redderet petulantes, Xenophon dissolvit I 2, 53—55, cum vera consilia sermonum Socratis ab accusatore vituperatorum explicat. Libanianus autem defensor Socratis in illo crimine redarguendo propinquos adulescentium a Socrate corruptorum et Socratem in ius vocatum coerciturus, si a suis iniurias accepissent, et adulescentes a consuetudine cum Socrate habita prohibituros fuisse censet §§ 102—103, p. 71, 5-12. Libanium igitur, cum in crimine et verbis definiendo et argumentis refutando a Xenophontis ratione omnino differat, illud crimen e Xenophontis libro non mutuatum esse iam satis esse demonstratum videtur.

Quarti autem accusationis capitis partem alteram Libanium non e Xenophontis comm. Socr. I 2, 56 petivisse vel inde est verisimile, quod ne prior quidem huius accusationis capitis pars, qua accusator Socrati vitio dederat, quod poetarum plurimi aestimatorum carmina vituperaret, e Xenophontis libro profluxit. Hoc igitur crimen Libanius ex ipsa accusatione quadam Socratis videtur hausisse, nec recte Schanz l. l. p. 41–42 Libanium hoc crimen non ex accusatione ulla sumpsisse, sed ipsum, ut locum communem declamationi suae insereret, excogitavisse existimat; quam opinionem rectam non esse cum inde sequitur, quod Libanium crimina libere invenisse non est verisimile, tum inde patet, quod non dubium est, quin Socrates

priorum philosophorum[1]), imprimis Xenophanis Colophonii[2]) et Heracliti Ephesii[3]), et aequalium, velut Protagorae Abderitae[4]) et Hippiae Elei[5]) morem et exemplum secutus poetarum carmina ponderaverit nec non interdum reprehenderit, criminis igitur sumpti de poetis vituperatis facultatem accusatori praebuerit; ac praeterea Socratem poetarum et vetustiorum et aequalium carmina examinavisse nec semper comprobavisse aperte testantur et Xenophon comm. Socr. I 6, 14, I 3, 7 et Plato passim, imprimis: apol. 22 A—C, 28 C—D, Euth. 12 A—C, Prot. 339 E — 348 A, Gorg. 502 C, pol. II 377 C sqq., Phaedr. 229 C. Iure igitur neque Gercke l. l. p. XXXI neque Ioël l. l. II 2, p. 1135 Schanzii opinionem acceperunt. — Alteram vero quarti accusationis capitis partem sumptam de Socrate ut poetarum auctoritate ad malas disciplinas docendas abuso e Xenophontis libro non manavisse aperte etiam ex huius criminis cum exprimendi verbis tum refutandi argumentis ratione apud utrumque auctorem diversa sequitur. Xenophon enim crimen illud duplici ratione repellit, cum altero argumento I 2, 57 et I 2, 59 veram versuum illorum Hesiodei et Homericorum interpretationem a Socrate adhibitam enarrat, altero I 2, 60 Socratem populo amicissimum et humanissimum fuisse demonstrat. Libanius autem, quamquam ipse quoque duas ingreditur criminis illius refellendi vias, tamen a Xenophonte plane discedit; ostendit enim altero argumento § 98, p. 68, $_{19}$ — 69, $_{2}$ accusatorem, cum poetas a Socrate tum vituperatos tum ad vim persuadendi augendam usurpatos esse contendat, sibi non constare, altero §§ 99—101, p. 69, $_{3}$ — 70, $_{17}$ Socrati, cum ab oraculo Apollinis Delphico sapientissimus omnium appellatus esset, poetarum auctoritate non opus fuisse.

[1]) Cf. Wendland, Die hellenistisch-römische Kultur in ihren Beziehungen zu Judentum und Christentum, Tübingen 1907, p. 57.

[2]) Cf. Xenophanis frg. 11. 12. ed. Diels, Die Fragm. der Vorsokr.², I, Berlin 1906, p. 48, $_{13-19}$.

[3]) Cf. Heracliti frg. 42 ib. p. 68, $_{13-14}$.

[4]) Cf. Plat. Prot. 339 A et testimonia, quae ad hunc locum illustrandum contulit Sauppe, Protagoras⁴, Berlin 1884, p. 95.

[5]) Cf. Plat. Prot. 347 A, Hipp. min. 364 C, et Hippiae frg. 6 apud Diels l. l.² II 1, p. 584, $_{18-23}$; frg. 9, frg. 18.

Singulos autem versus illos Hesiodeum vel Homericos, quos accusator attulerat, ut Socratem illis ad perniciosas doctrinas propagandas usum esse argueret, Libanium ex allatis locis Xenophonteis non prompsisse cum inde est verisimile, quod ne illa quidem accusatoris argumenta formata ex Pindari et Theognidis versibus ut a Socrate malo consilio adhibitis Xenophon Libanio praebuit, tum inde cognoscitur, quod et Hesiodi et Homeri versus apud Libanium et apud Xenophontem rationibus inter se plane alienis tractantur. Atque versum illum Hesiodi Libanium e Xenophontis loco non accepisse vel ea re ostenditur, quod Socrates versu illo Hesiodeo

apud Libanium certa scelerum exempla, irruptiones et sepulcra profanata, comprobans fingitur,	apud Xenophontem generaliter ad omnia maleficia adhortatus inducitur,
§ 86, p. 62, 2—4 οὐκοῦν ὁ τοῖχον διορύττων καὶ τάφον ἔχει μάρτυρα σοφὸν ἄνδρα, τὸν Ἡσίοδον, τοῦ μηδὲν ἀδικεῖν.	I 2, 56 ὁ ποιητὴς κελεύει μηδενὸς ἔργου μήτ᾽ ἀδίκου μήτ᾽ αἰσχροῦ ἀπέχεσθαι, ἀλλὰ καὶ ταῦτα ποιεῖν ἐπὶ τῷ κέρδει.

Tum Libanium versum illum Hesiodeum aliunde atque e Xenophontis libro arcessivisse etiam ea re confirmatur, quod defensor Libanianus opprobrium Socrati versu illo ab accusatore illatum a reo ratione plane alia ac Xenophon amolitur. Hic enim Socratem vera versus illius interpretatione Socratica allata crimine illo liberat, cum Socratem versum illum eo modo illustrantem facit, ut omnem laborem bonum, inertiam malam, homines laboriosos utiles atque honestos, inertes noxios ac turpes esse, laboriosos autem modo eos esse qui opera bona faciant, operibus autem malis aut poena dignis velut aleae deditos inertes esse statuat. Defensor autem Libanianus crimen illud, quo Socrates accusatur, quod versu illo Hesiodeo ad facinora gravissima committenda alios adducat, eo modo dissolvit, ut altera versus illius parte neglecta poetam, cum versus parte priore non recta doceat, a Socrate refutatum ac risui traditum esse ostendat. Maxime vero Libanium argumentum illud accusatoris e Xenophontis loco non prompsisse hac ipsa re demonstratur, quod apud Xenophontem Socrates poetae versum

bonum ac rectum esse explicat, ut auctoritas Hesiodi salva maneat, Libanianus autem defensor Socratem poetae auctoritatem atque gloriam iniustam redarguendo destruxisse narrat.

Argumentum autem accusatoris ad versus Homericos pertinens Libanium e Xenophontis commentariis non repetivisse cum vel inde colligi potest, quod accusator Libanianus Socratem ampliore crimine quam Xenophonteus insimulat, quod versibus illis Homericis laudatis hominibus potentibus ac nobilibus parcendum, pauperes vexandos esse, Xenophonteus autem, quod modo humiles ac pauperes verberandos esse docuerit:

Libanianus:	Xenophonteus:
§ 97, p. 68, 15—17 *τῶν μὲν μέγα δυναμένων καὶ λαμπρῶν ἀπέχον, τοὺς δὲ πενεστέρους ἔλαυνε,*	I 2, 58 *ὡς ὁ ποιητὴς ἐπαινοίη παίεσθαι τοὺς δημότας καὶ πένητας,*

tum inde patet, quod apud utrumque auctorem crimen illud rationibus diversis redarguitur. Xenophon enim illud accusatoris argumentum tribus rationibus delet: prima I 2, 59, quod Socrates, quippe qui ipse pauper ac vulgaris fuerit, duris atque crudelibus in homines pauperes doctrinis se ipsum premendum esse existimavisset, altera I 2, 59, quod Socrates versus illos Homericos interpretatus tantum eos, qui neque exercitui neque urbi neque populo prodesse possent, praesertim cum audaces essent, omni modo coercendos esse censuit, tertia I 2, 60, quod Socrates moribus fuit popularibus atque humanis. Defensor autem Libanianus ad crimen illud refellendum duo adhibet argumenta: prius §§ 93—96, p. 66, 6—68, 7, quod Socrates Homerum non recte ius inter homines potentes atque humiles distribuisse, dignum igitur non esse, cuius doctrinae observentur, sermonibus suis demonstrabat, alterum § 97, p. 68, 8—18, quod Socrates versibus illis Homericis ad iniurias, quas docuisse accusator eum arguit, neminem adhortatus est. Libanium igitur accusatoris argumentum nec de versu illo Hesiodeo nec de versibus Homericis promptum e Xenophontis locis hausisse iam satis videtur apertum esse.

Ac ne octavum quidem crimen ad Alcibiadem et Critiam ut a Socrate corruptos spectans, quod Xenophon in criminibus

enumerandis loco affert secundo, Libanium ex huius libro delibavisse inde sequitur, quod in crimine et exprimendo et repellendo ab eo dissentit. Apud Libanium enim § 136, p. 90,$_{15}$ accusator Socratem Alcibiadis et Critiae magistrum, *διδάσκαλον*, apud Xenophontem I 2, 12 *ὁ κατήγορος* illos Socratis familiares, *ὁμιλητά*, appellat. Magis etiam in argumentis ad hoc crimen dissolvendum adhibitis Libanius a Xenophonte discedit, quamquam nonnulla ei cum illo sunt communia. Xenophon enim illud accusationis caput septem praecipue argumentis refutat: 1) I 2, 13—16, quod Alcibiades et Critias mala indole praediti cum Socrate consuetudinem habebant, non ut meliores, sed ut dicendi et agendi peritissimi ac rei publicae principes fierent; 2) I 2, 17—18, quod Socrates se et consilio et re virum optimum praestitit; 3) I 2, 19—23, quod ex optimis multi moribus mutatis pessimi evadunt[1]; 4) I 2, 24—28, quod Alcibiades et Critias Socratis familiaritate usi probi ac modesti, ab eo remoti impotentes atque effrenati facti sunt, a magistro autem discipulorum, quos bene instruxit, improbitatis ratio non est repetenda; 5) I 2, 29—38, quod Socrates Critiam amoris cupidum vituperavit, Critias tyrannus factus Socratem colloqui vetuit[2]; 6) I 2, 39—47, quod cum Critias tum Alcibiades a prima adulescentia id spectabant, ut rei publicae praeessent[3]; 7) I 2, 48, quod alii Socratis familiares optimi cives facti sunt. Libanius autem, quamquam ex his argumentis tria in suum usum vertit: 1) id, quod magister propter discipulorum nequitiam non est accusandus: §§ 142—147, p. 95,$_{6}$—99,$_{4}$ (= Xenophontis argumentum quartum, comm. Socr. I 2, 27—28); 2) quod Socratem triginta tyrannorum dominationem vituperantem, § 72, p. 54,$_{11}$, § 148, p. 99,$_{12}$, § 149, p. 100,$_{3\ 4}$, Critias colloquiis privavit:

[1]) Totus hic locus I 2, 17—23 a Xenophonte ipso non satis esse perpolitus videtur; Hartmann l. l. p. 124—126 totam hanc partem etsi non ab interpolatore insertam tamen a manu recentiore retractatam esse existimat.

[2]) Hartmann l. l. p. 126—127 totum locum I 2, 29—38 Xenophonti abiudicat, sed argumentis non satis firmis usus est.

[3]) Hunc totum locum I 2, 39—47, cum sententia illo expressa in argumentorum seriem accommodate inserta sit, Hartmann l. l. p. 128 *„a Xenophonte quidem scriptum, sed inepto loco ab interpolatore positum esse“* sine causa sufficienti opinatur.

§ 59, p. 47, 2–4, § 148, p. 99, 6–15 (= Xenophontis argumentum quintum, comm. Socr. I 2, 31—38)[1]; 3) quod non omnes Socratis familiares homines scelesti aut rei publicae perniciosi facti sunt: §§ 150—151, p. 100, 6—101, 7 (= Xenophontis argumentum septimum, comm. Socr. I 2, 48), tamen et in his tribus argumentis explicandis et in tota criminis illius refutandi ratione Xenophontem minime sequitur. Omnino enim Libanius quinque affert argumenta ad illud accusationis caput diluendum; ac primo quidem §§ 137—141, p. 91, 10—95, 5 Alcibiadem a Critia distinctum summis laudibus praedicat; in altero argumento §§ 142–147, p. 95, 6—99, 4, quo culpam pravitatis discipulorum in magistrum transferendam non esse explicat, aliis exemplis sententiisque utitur ac Xenophon comm. Socr. I 2, 27—28; tertium argumentum §§ 148—149, p. 99, 5—100, 5 Libanius materiam e Xenophontis argumento quinto, comm. Socr. I 2, 31—38, mutuatus exemplo sumpto de artis gymnasticae et magistris et discipulis victorias inter se gratulantibus auxit, § 149, p. 99, 15–18; quarto argumento §§ 150—151, p. 100, 6—101, 7 Libanius in Socratis amicis enumerandis a Xenophonte discedit Hermogenis et Simiae et Cebetis nomina a Xenophonte appellata praetermittens, Platonem et Aeschinem a Xenophonte non nominatos commemorans, alios familiares e Xenophontis commentariorum Socratis locis aliis exhibens:

§ 150, p. 100, 16 *Ἀρίστιππον*	cf. comm. Socr. II 1
§ 150, p. 100, 18 *Λαμπροκλεῖ*	cf. comm. Socr. II 2
§ 150, p. 100, 19 *Χαιρεκράτην*	cf. comm. Socr. II 3
§ 150, p. 101, 1 *Ἀντισθένην*	cf. comm. Socr. II 5
§ 150, p. 101, 2–5 *ἀλλὰ μὴν Γλαύκωνά τε τὸν Ἀρίστωνος καὶ τὸν Γλαύκωνος Χαρμίδην,*	
τὸν μὲν ἐπεγείρας δημηγορεῖν ὀκνοῦντα,	cf. comm. Socr. III 7
τὸν δ' ἐπισχὼν οὔπω δυνάμενον ὠφελεῖν, cf. Liban. apol. Socr. § 133, p. 89, 6–9	cf. comm. Socr. III 6
§ 151 p. 101, 6 *Περικλῆς ὁ Περικλέους.*	cf. comm. Socr. III 5

[1]) Rem illam a Xenophonte memoriae traditam iterant auctor decl. II §§ 16—17, p. 135, 1–12, Diog. L. II 19, Libanius ipse in Demosthenis apologia ed. Reiske IV p. 291, 1–2, Ioannes Chrys., discipulus eius, in libello, qui inscribitur *πρὸς ἄπιστον πατέρα* § 1, Migne 47, 331.

Quinto argumento § 151, p. 101, 7–14 Libanius Socratem in sermonibus nisi virtutes non docuisse explicat; ac singula Socratis de singulis virtutibus colloquia, quamquam etiam a Xenophonte in commentariis enarrantur, Libanius tamen non solum e locis Xenophonteis, sed etiam e dialogis Platonicis noverat; disserit enim Socrates[1])

περὶ δικαιοσύνης § 151, p. 101, 9, apud Platonem imprimis Gorg. 477 C—481 B, pol. I 331 C—354 C, apud Xenophontem comm. Socr. III 9, 5; IV 4, 5—25,

περὶ σωφροσύνης § 151, p. 101, 9, apud Platonem Charm. 157 A—176 D, pol. IV 430 E—432 B, apud Xenophontem comm. Socr. III 9, 4; IV 5, 7,

ὑπὲρ ἀνδρίας § 151, p. 101, 10, apud Platonem Lach. 190 D—201 C, pol. IV 429 A—430 C, apud Xenophontem comm. Socr. IV 6, 10—11,

περὶ μαντικῆς § 151, p. 101, 10-11, apud Platonem Lach. 198 E, Phaedr. 244 A—245 A, apud Xenophontem comm. Socr. IV 3, 12; IV 7, 10.

Libanium igitur, cum in crimine illo sumpto de Alcibiade et Critia ut de Socratis discipulis neque exprimendo neque redarguendo Xenophontem sequatur, crimen illud ex eius libro non hausisse iam satis manifestum videtur esse, etiamsi rhetorem Antiochenum Xenophontis commentarios Socratis lectitasse est concedendum. Cum igitur Libanium nullum crimen e Xenophontis libris sumpsisse constet, restat ut eum et haec crimina, quae ei cum Xenophonte sint communia, et illa a Xenophonte non commemorata in accusatione quadam in Socratem scripta repperisse existimemus, atque cum crimina apud Xenophontem exstantia in Libanii apologia Socratis rursus occurrant e Xenophontis commentariis non prompta, accusationem a Libanio refutatam et illam, e qua Xenophon nonnulla crimina sibi refellenda elegerit, unam eandemque esse apertum est. Atque cum accusatio a Libanio dissoluta illa iudiciaria omnino esse non possit cumque per omnia antiquitatis tempora, quantum scimus, unus exstiterit peculiaris libellus accusatorius in Socra-

[1]) Ad eosdem Socratis de virtutibus sermones Libanius etiam § 174, p. 114, 13—15 alludit et decl. II § 25, p. 139, 14—16.

tem scriptus, Polycratis ἡ κατηγορία Σωκράτους[1]), facere non possumus quin Libanium apologia Socratis crimina a rhetore illo Atheniensi, Isocratis aemulo, in Socratem excogitata redarguere putemus. Atque etiam τὸν κατήγορον apud Xenophontem comm. Socr. I 2, 9. 12. 26. 49. 51. 56. 58 commemoratum neminem alium nisi Polycratem esse promptum est; quod primus Cobet l. l. p. 661—681 pronuntiavit atque gravibus argumentis evicit, L. Dindorf[2]) novis confirmavit; sed cum Xenophontem Polycratis libello edito ad commentarios Socratis contra illam accusationem scribendos commotum totosque commentarios *„ad redarguendam Polycratis κατηγορίαν Σωκράτους a Xenophonte compositos esse et editos"* Cobet l. l. p. 662 censuisset, hanc eius opinionem falsam Buechsenschuetz l. l. p. 691—695, Breitenbach l. l. t. 99 p. 801—815 — cuius impetus in Cobeti sententiam factos C. Schenkl l. l. p. 3—13 repellere studuit, quamquam ei non persuasit[3]) — Roquette[4]), Blass[5]) iure improbaverunt, sed Polycratis accusationem Socratis a Xenophonte in commentariis omnino non respectam esse perperam arbitrati sunt. Illam autem Cobeti sententiam coercitam, quam primus Hartmann l. l. p. 105—113 et p. 154 n. ita definivit, ut commentarios Socratis non totos contra Polycratem scriptos atque editos esse, sed nonnulla Polycratis crimina a Xenophonte comm. Socr. I 2 refutari declararet, vix quisquam est qui abnuat[6]).

[1]) Fragmenta exstant apud Baiter et Sauppe, Oratt. Att. II p. 222.

[2]) Xenophontis memorabilia Socratis. Accedit Anonymi apologia Socratis. Ex recensione et cum annotationibus L. Dindorfii, Oxonii 1862, praef. p. XXI—XXIV.

[3]) Cf. Jahrb. f. klass. Phil. t. 115 p. 455—461 et Xenophons Memorabilien, erkl. von L. B.[5], Berlin 1878, Einl. p. 8—10.

[4]) De Xenophontis vita, diss. Regimonti Borussorum 1884, p. 67—71.

[5]) Die attische Beredsamkeit[2], Leipzig 1892, II p. 369.

[6]) Historiam quaestionis illius ad Polycratis κατηγορίαν Σωκράτους et Xenophontis commentarios Socratis pertinentis usque ad annum 1890 breviter enarravit Grillnberger, Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien, t. 41, Wien 1890, p. 1—2. Post illum ipsum Cobeti sententiae astipulatum p. 2—15, imprimis Joël l. l. I, Berlin 1893, p. 19 n., Schanz l. l. p. 23—27, Hirzel, Der Dialog, Leipzig 1895, I p. 142—143, Cobeti opinionem defenderunt. Contra Poehlmann, Socrates und sein Volk. Ein Beitrag zur Geschichte der Lehrfreiheit. Historische Bibliothek VIII, München u. Leipzig 1899, p. 100[4], non dubitat quin ὁ κατήγορος Xenophonteus orator accusati-

Ac ne omnia argumenta aut pro hac sententia aut contra eam prolata denuo disquiram, cum Polycratis accusationem Socratis a Libanio apologia Socratis refutatam esse demonstrabimus, simul etiam Xenophontem comm. Socr. I 2. 9—63 nonnulla crimina Polycratis electa refellere novo argumento communiemus.

onis iudiciariae fuerit. Beyschlag vero l. l. p. 20—26 ad Cobeti sententiam rediit, quam Menzel l. l. p. 3—4 novo argumento fulsit.

Reliqua propediem edentur in commentationum quae inscribuntur
Breslauer Philologische Abhandlungen fasciculo 40.

Sentententiae controversae.

1. Schanz in Platonis librorum editionibus multis locis lectionibus codicis Veneti T optimis contemptis deteriores codicis Clarkiani B lectiones iniuria praefert:
   a. Phaedr. 246 B Schanz codicem B secutus scribit *πᾶσα ἡ ψυχὴ παντὸς* . . ., ubi T rectius praebet *ἡ ψυχὴ πᾶσα παντὸς* . . .
   b. Prot. 321 B cod. T optime habet *τὰς δυνάμεις εἰς τὰ ἄλογα.* Schanz in textu ponit modo *τὰς δυνάμεις*, quod exstat in B.
   c. Prot. 324 B Schanz exhibet *ἔνθα δὴ* . . ., quod praebet B, neglecta meliore scriptura codicis T *ἔνθεν δὴ* . . .
   d. Crat. 387 C in B legitur *πρᾶξίς ἐστιν*, quod Schanz recepit in textum. T scribit rectius *πρᾶξίς τίς ἐστιν.*
   e. symp. 175 D Schanz codicem B secutus scribit *τοῦ σοφοῦ ἀπολαύσω*, ubi T verba continet pleniora *σοφοῦ ἁπτόμενός σου ἀπολαύσω.*
2. In Caecili Stati versibus apud A. Gellium in Noct. Att. II 23,10 servatis versum 6 corruptissime traditum sic restituendum esse censeo:

   quae, mihi quidquid placet, eo ⟨privat⟩, privatum vin me servatum?
3. Plato in dialogo, qui inscribitur *Πρωταγόρας*, compluribus locis Polycratis accusationem Socratis respicit.
4. Diogenis L. vitae philosophorum non opus sunt perfectum, sed tantummodo materies collecta, quam auctor sibi sumpsit tractandam, quam autem quominus in ordinem redigeret ac libros perpoliret aliquibus causis impeditus est.

5. OLTOΣ vasculorum pictor, qui Olti et Euxithei quae vocatur paterae imagines pinxit (Mon. d. I. ined. X 23, 24; Wiener Vorlegeblätter Serie D, Taf. I), homo est Etruscus, cuius nomen derivatum est de **velϑ* radice Etrusca servata in multis nominibus propriis Latinis, velut *Veltymnus* (Schulze, Zur Geschichte lateinischer Eigennamen, Berlin 1904, p. 251—252), *Voltinius*, *Volturnius* (Schulze l. l. p. 259—261).
6. Opinionem Hauseri, qui in cratere Urbis Veteris (Furtwängler-Reichhold, Griechische Vasenmalerei, München 1908, Lieferung V, Taf. 108) Herculem ante pugnam Marathoniam decem gentium Atticarum patronos adhortari censuit (l. l. Serie II, Text p. 249), non probandam esse existimo.

Vita.

Natus sum Hieronymus Markowski in parvulo Borussiae occidentalis vico, cui nomen est Ostritz, anno 1883 pridie Idus Augustas patre Augusto, matre Anna. Fidem profiteor catholicam. Vere anni 1904 in gymnasio regio Neapolis urbis Borussiae occidentalis maturitatis testimonium adeptus Monasterii Guestphalici in regia universitate per duo semestria audivi docentes hos viros doctissimos: *Ehrenberg*, *Geyser*, *Hosius*, *Iostes*, *Kappes*, *Koepp*, *Mausbach*, *Schwering*, *Sonnenburg*, *Spicker*, *Storck* †, *Streitberg*.

Per insequentia duo semestria in universitate Friderica Guilelma Berolinensi horum adii scholas virorum doctissimorum: *Dessoir*, *Diels*, *Geiger*, *Helm*, *Herrmann*, *Kekule de Stradonitz*, *Lehmann*, *Menzer*, *Ed. Meyer*, *Roediger*, *Roethe*, *E. Schmidt*, *Schumann*, *Gu. Schulze*, *Stumpf*, *Thomas*, *Vahlen*, *de Wilamowitz-Moellendorff*.

Per novissima sex semestria me in hac universitate Vratislaviensi docuerunt hi viri doctissimi: *Baumgartner*, *Cichorius*, *Drescher*, *Foerster*, *Freudenthal* †, *Kampers*, *Koch*, *Kuehnemann*, *Siebs*, *Skutsch*, *Wendland*. Exercitationibus proseminarii philologici, quod *Hosius*, *Wilamowitz*, *Diels*, *Skutsch*, *Wendland* moderati sunt, per quinque semestria intereram. Septimo studiorum semestri sodalis ordinarius factus seminarii philologici Vratislaviensis exercitationum, quibus *Foerster*, *Skutsch*, *Wendland* praeerant, per duo semestria particeps eram. Ac praeterea seminarii philosophici ut socius essem, concesserunt mihi *Baumgartner*, *Kuehnemann*, historici *Cichorius*, germanici *E. Schmidt*, *Drescher*, *Koch*, *Siebs*, archaeologici *Foerster*.

Quibus omnibus gratias ago semperque habebo debitas, imprimis vero Richardo Foerster, qui me in hoc libello componendo liberali consilio summaque benevolentia prosequi non desiit.

Typis Maretzke & Maertin Trebnicensium.